

Explaining In Summary Form How A Man In Extreme Pain Can Be Said To Be "Happy"

Reprehenditur itaque Epicurus, quod is de summo bono nimis molliter posuisse existimetur, idque in voluptate constituerit, ad eamque referenda omnia censuerit. Mihi vero studiosius illum consideranti in dies magis ac magis haec eius sententia probari solet, tanquam, non hominis, sed aut Apollinis, aut superioris naturae cuiusdam edictum ac constitutum. Qui cum maxime omnium naturae vim perspiceret, intelligeretque ita natos nos esse, ab ipsaque natura formatos. ut nihil tam esset nobis consentaneum, quam ut omnia corporis nostri membra sana atque integra haberemus, eaque in statu servarentur, nec ullis afficeremur aut animi aut corporis incommodis, summum in voluptate bonum constituit. O sapientissimum hominem Epicurum. Quid enim ad hanc sententiam addi potest? aut quae est alia ulla felicitas? Nec enim cuius animus angitur, is beatus esse, nec cuius corpus dolore afficitur, hic esse non miser potest. Ne quis vero quibus temporibus de his disputem ignorare me existimet, hac tota disputatione intelligi illud volo, me hic de illa simplici, veraque philosophia, quam theologiam appellamus, non agere, sed de hominis humano bono quaerere et de opinionibus ipsorum inter se hac de re dissentientium philosophorum.